Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36566
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

suscipere. sine dubio quia per sapientiam que in eo erat qua uigebat sub
moyse et sub ihesu. intellexerat coniunctionis ipsius rationem. et perspexe-
rat quid esset cause quod cum abraham sola sara ibi iaceret. et neque agar: neque
cethura ei meruisset adiungi. uel quid esset cause quod cum iacob sola Lia
iacere uideretur. et neque rachel que amplius fuerat dilecta. neque aliqua
ex concubinis in sepulchro ei fuerit copulata. Ipse ergo in memoriis
patrum hereditatem capit. prudens et sapiens caleph. ipsi ihesus enachitarum
gentis metropoli tribuit chebron. et efficitur ei sors usque in hodier-
num diem. Utinam et mihi daretur sors abraham. ysaac et iacob. ut efficeretur
et meus deus. sicut effectus est deus abraham et deus ysaac et deus iacob. in christo
ihesu domino nostro. cui est gloria et imperium cum spiritu sancto in secula seculorum amen.

Finit XVIIII. Incipit omelia XX. de finibus hereditatis tribus iuda.

DISTRIBUIT HEREDITATEM MOYSES.
distribuit hereditatem et ihesus. Sed non est scriptum in distributione
hereditatis moysi. quia cessauit terra a bellis. in distributione uero
ihesu. ipsa uerbi prefatio sic incipit. Et cessauit inquit terra a bellis.
Si ergo dignus effici et tu uis qui hereditatem consequaris. ab ihesu.
et sumere ab eo portionem. oportet te prius omnia bella finire et
in pace consistere. ut etiam de tue carnis terra dicatur quia cessauit
a bellis. Tum deinde cum consuetudo sit sancte scripture quatuor par-
tes orbis terre quos axes ut plagas nominant appellare. in distri-
butione finium tribus iuda. due tantummodo nominantur et due reticentur.
Sic enim scriptum est. Et facti sunt fines tribus filiorum iuda. secundum plebes
eorum. a finibus ydumee a deserto syn ad occidentem. et cum descripsisset
fines ab occidente. tunc deinde dicit. ab oriente. omne inquit mare
salsum. et alias duas partes reticuit. id est septentrionis ut meridiani.
Uide ergo si non repleta sunt ista mysteriis. licet nos singula ut sentire
ut explicare nequeamus. tamen prout dominus prebere dignatur et nos capere
ualemus. discutere singula queque temptabimus. Facti sunt inquit